



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 35. Constitutiones Benedicti XIII. Papæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

§. XXXV.

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

*Constitutiones Benedicti XIII.
Pontificis.*

Præter allegatam Constitutionem in favorem Ord. FF. Prædicatorum insuper Benedictus XIII. Pontifex plures alias hoc anno promulgavit, & præprimis Fratribus Eremitis S. Augustini die prima Januarii, & Abbati ac Monachis Monasterii B. V. M. de monte Serrato die 20. Decembris, necnon Franciscanis die 3. Aprilis omnia privilegia, atque exemptiones a Prædecessoribus Romanis Pontificibus concessas confirmavit. Die autem duodecima Augusti omnibus & singulis Romæ vel in quovis alio status Ecclesiastici oppido existentibus ludum, vulgo *Lotto* cujuscunque Civitatis inhiuit, indicta Ecclesiasticis poena suspensionis, & Collectoribus vel quocunque modo cooperantibus poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, ac soli Pontifici reservatæ. Præterea omnes gratias, privilegia, & indulgentias, quas locis terræ sanctæ, ac FF. Minoribus de Observantia ibi agentibus olim Pontifices concessere, die 3. Martii confirmavit: Carmelitis vero Cordubensis Collegii Rectoribus ac SS. Theologiæ Magist-

Sæc. XVIII
A. C. 1727.

Magistris Pontifex die tertia Martii concessit, ut sui Ordinis Lectoribus, qui Philosophiam & Theologiam viginti & unius anni spatio docuerunt, Doctoratus lauream prævio riguroso examine impertiri valeant, ne proximam Universitatem vel ipsum Generalem non sine magnis sumptibus, & temporis dispendio accedere cogantur. Cum autem Pontifex Episcoporum cæremonialem a semetipso recognitum ac confirmatum edidisset, illud etiam ab omnibus observari, die septima Martii præcepit. Sub idem quoque tempus P. Michael a Christo Procurator Generalis Congregationis Hispanicæ Carmelitarum Excalceatorum exposuit, quod insuperhabito exemptionis privilegio nonnulli Ecclesiarum Rectores, Parochi ac Canonici in variis Provinciis decimas ex eorum hortis ac terris exigant, hinc Pontifex die tertia Aprilis omnes lites desuper motas suppressit, & privilegia exemptionis a decimis auctoritate Apostolica confirmavit. Insuper Pontifex die vigesima sexta Aprilis Capitulo Basilicæ D. Petri facultatem dedit, ut Monasteriorum eidem Capitulo unitorum subditis literas, ut vocant, *dimissorias* ad omnes S. Ordines concedere possit. Quoniam vero Martinus V. Papa olim Fratribus B. V. de Mer-

Mercede Redemptionis Captivorum Sæc. XVIII.
 indulserat, ut libere subsidia chari- A. C. 1727.
 tativa pro Captivorum Redemptione
 ubique locorum petere possent, & ni-
 hilominus nonnulli locorum Diæcesani,
 atque officiales ad petenda hæc subsi-
 dia hosce Religiosos admittere nol-
 lent, hinc Pontifex die decima quarta
 Junii hanc Martini V. Constitutionem
 innovavit, confirmavitque die decima
 octava ejusdem Mensis omnia privile-
 gia Carthusianis concessa. Voluit e-
 tiam, ut juxta Bullam Pii V. Cano-
 nici Regulares Congreg. Lateranensis
 Ord. S. Augustini post Clerum sæcula-
 rem ceteros omnes in processibus,
 aliisque actibus tam publicis, quam
 privatis præcederent. Edita quoque
 Bulla Benedictus XIII. Universitatem
 Studii Generalis in Urbe Camerinensi
 erexit.

Aliquot abhinc annis quidam Viri non
 minus pietate, quam copiis amplissimi
montem pietatis ut vocant Madriti ere-
 xerunt, ingentemque pecuniarum vim
 eo fine reposuere, ut ex censibus an-
 nui Missæ in Animarum in piaculari-
 bus flammis detentorum subsidium quot-
 annis celebrarentur; cum ergo pia
 hæc fundatio tam felicem habe-
 ret progressum, ut Anno 1723. jam
 plusquam centies triginta septem
 mil-

Sæc. XVIII. millia Missarum fuissent celebrata, & ipse
A. C. 1727. met Philippus V. Hispaniæ Rex non
 modo pro pii hujus operis firmitate &
 augmento amplas gratias concederet,
 sed insuper a summo Pontifice peteret,
 ut omnes Indiarum incolæ in suis te-
 stamenti aliquod subsidium pro dicto
 Monte relinquerent, & iis, qui aliquid
 ad hoc legaverint, Pontifex indulgentias
 concederet, His ergo Regis precibus
 annuens Benedictus XIII. die prima
 Februarii anni prioris Archiepiscopis,
 ac Indiarum Episcopis insinuabat, ut
*populos sibi subjectos excitarent ad devotio-
 nem relinquendi in suis Testamentis aliquid
 sibi bene visum in favorem præfati Montis,
 ut de suffragiis participare possent.*

Paulopost idem Rex insuper a Pon-
 tifice petebat. ut præcipere valeat,
 quatenus nullum testamentum, sive
 Testator laicus sive Ecclesiasticus sit,
 valeat, nisi elemosynam relinquat huic
 Monti applicandam ad hoc, ut illi, qui
 ex Indiis venerint, notabile sublevamen in
 suis necessitatibus percipiant, sicut in par-
 tibus Hispaniæ pro locis Terræ sanctæ, &
 Captivorum redemptione fieri jam dudum
 consuevisset. His expositis Pontifex ha-
 bito Cardinalium consilio id, quod
 Rex efflagitabat, die vigesima Augusti
 concessit. Die autem vigesima septi-
 ma Septembris præcepit, ut quiscun-
 que

que Frater Ordinis Eremitarum S. Augustini per duo triennia continua quibusdam officiis functus est, in tertio triennio ab omni ejusmodi officio solutus, soli Deo & animæ suæ vacare teneretur. Clericis vero Regularibus Congregationis Scholarum Piarum, ne tempore Adventus & quadragesimæ extra suas Ecclesias prædicarent, die tertia Octobris inhibuit, & Superioribus super hoc dispensandi facultatem ademit, ut Scholarum exercitio ferventius vacare possent.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

§. XXXVI.

*Diversæ Decisiones & decreta SS.
Congregationum.*

Propositis subinde variis dubiis Sacræ Congregationes Romanæ plures quoque Cnnstitutiones ac decreta edebant; & quidem S. Rituum Congregatio die vigesima tertia Januarii ad preces P. D. Seraphini Tansii Abbatis Cassinensis decidit, ac concessit, ut quoties festum S. Benedicti in aliquam diem Majoris Hebdomadæ inciderit, illud feria tertia post Dominicam in Albis celebrandum sit, & etiam sæculares ac Regulares Sacerdotes ad Ord. Benedictini Ecclesias confluentes in ipso hoc festo Missam ipsius propriam